

9308.

1773, 23.

Q V A E S T I O

I V R I S C O N T R O V E R S I

A N

R E S I N C O P O R A L E S
C O M P R E H E N D A N T V R S V B
H Y P O T H E C A G E N E R A L I
I N Q V A M O B I L I V M E T I M M O B I L I V M
T A N T V M M E N T I O F A C T A

Q V A M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S. P U B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.

E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S E V R G E N S.

S O C I O

D I E X I I. O C T O B R. A N N O C I D I O C C L X X I I

D E F E N D E T

G E O R G I V S H E N R I C V S K V H N

G R O S - M I L K A V.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.



AN
RES INCORPORALES
COMPREHENDANTVR SVB
HYPOTHECA GENERALI IN QVA
IMMMOBILIVM ET MOBILIVM
TANTVM MENTIO
FACTA.

Siicut hominum improbitas varias securitatis praestandorum cautions inueniendi causas praecepsit; ita honorarium ius ei pacto, quo alteri securitas in rebus nostris promittebatur tantum, rebus ipsis haud traditis, vim tribuit, quam ex stricto ciuili iure, quod pactis ciuilem negabat obligationem, habere nequaquam poterat. Hoc ergo hypothecae pacto ius obtinuit creditor in rebus sui debitoris in securitatem sui crediti, licet res ipsas debitor adhuc possit.

* * *

possideat, neque custodiae creditoris committantur, quod in pignore obseruantur. In eo enim iuris pignoris et hypothecae maxima similitudine est differentia, teste **V L P I A N O** in *L. 8.* §. 2. π. de pignerat. action. Proprie, inquit, pignus dicimus, quod ad creditorem transit: hypothecam cum non transit nec possesso ad creditorem. Sed videtur parum sibi constans esse **D O M I T I V S** ipse, quippe, qui in *L. 1. π. eod.* expresse scribit: *Pignus contrahitur non sola traditione, sed etiam N V D A C O N V E N T I O N E esti NON traditum sit.* Sed caue inconstitutae accusas Vlpianum, qui in *L. 1. cit.* forsan idem in animo habuit, quod **M A R C I A N V S**, qui de formula hypothecaria scribebat, in *L. 5. §. 1. π. de pign. et hypoth.* scribens: *Inter pignus autem et hypothecam tantum nominis sonus differt.*

§. II.

Si rerum, quae per hypothecae pactum obligari possunt, ratio habenda est, facile patet, omnes eas res hypothecae iure obligari posse, quae possunt esse creditori securitati: hoc est, quae in commercio priuatorum existunt, ut in iis creditori ius in re esse possit. Hinc res incorporales non minus, ac corporales obiectum pignoris et hypothecae esse possunt. Sic apud **P A V L U M** in *L. 12. π. de pign. et hypoth.* mentio fit pignoris viae, itineris, actus, aquaeductus. At haud permittrunt iura omnium seruitutum oppignorantionem, sed ex realibus tantum rusticorum praediorum, quare **M A R C I A N V S** in *L. 11. §. 3. π. eod.* expresse scribit: *Iura praediorum urbanorum pignorari non possunt, igitur nec conuenire possunt, ut hypothecae sunt.* Causa in eo sine dubio latet, quod teste **P A V L O** in *L. 3. π. de Seru.* seruitutes praediorum urbanorum sunt in superficie, rusticorum contra in ipso solo. Neque dubium est, quin nomina oppignorari possint. Testatur **P A V L V S** in *L. 18. π. de pignor. action.* Scribit: *Si conuenerit, ut nomen debitoris mei pignori tibi sit, tuenda es, a Practore haec conuentio. caet.*

§. III.

§. III.

Non autem tantum singulæ res, si in commercio sint, quæcumque oppignoratio lege improbata non est, possunt oppignorari, sed etiam vniuersum patrimonium creditori potest hypothecæ iure obligari. Sed si generalis hypotheca data sit, ut omne patrimonium nexus obligatumque videatur, tamen ipsæ leges nonnulla bona ex ipso patrimonio excipiunt, quae quamvis generaliter omnia bona hypothecata sint, tamen sub generali illa non intelliguntur. Adfirmat hoc **VLPIANVS** in *L. 6. π. de pign. et hypoth.* Ait: *Obligatione generali rerum, quas quis habuit habiturus est, ea non continetur, quae verisimile est, quemquam specialiter obligaturum haud fuisse: utputa suppellex, item vestis relinquenda est debitori, et ex mancipiis, quae in eo usu habebit, ut certum sit, eum pignori daturum non fuisse, proinde de ministeriis eius per quam ei necessariis, vel quae ad affectionem eius pertineant, et addit **PAVLVS** *L. 7. π. eod.* Vel quae in usum quotidianum habentur.*

§. IV.

At orta est quaestio: *Si debitor suo creditori omnia sua bona, eaque tam mobilia quam immobilia hypothecæ iure obligauerit, an et incorporalia sub ea hypotheca generali intelligantur hypothecata?* Si de ciuili iure quaestio decidenda, valde dubium potest videri, an ea contineantur, quippe separatum rerum genus incorporales res constituant, quae neque ad mobiles, neque ad immobiles proprie referri possunt. Quare haud pauci putant mobilium et immobilium mentione facta in hypotheca generali, nomina non comprehendendi, teste **STRYKIO** in *Cautel. Contrad. Sect. II. Cap. IV. §. 15.* Ridicula vero est **BRUNNEMANNI** ad *L. 1. π. de pig. n. 5.* limitatio, videlicet comprehendi posse, si debitor iuris Romani sit ignarus et nesciat nomina tertiam bonorum partem constituere. Quasi vero ignorantia legum excusationi locum faciat atque iurium immutationem producat.

A 3

§. V.

§. V.

Quamquam vero negari haud possit, nomina et incorporales res peculiare genus rerum in patrimonio constituere, tamen ausim adfirmare, et iure romano posse defendi incorporales res adeoque nomina sub illa hypotheca generali comprehendendi; licet earum rerum mentio facta non sit. Constat enim aestimari incorporales res ab obiecto, circa quod versantur. Si ergo obiectum rei incorporalis sit res immobilis, aequiparatur cum re immobili ipsa res incorporalis, utputa seruitus praedialis, cum illius obiectum, in quo versetur, sit fundus, certum est, comparari cum re immobili. Contra si rei incorporalis obiectum sit mobilis res, ut nummi, dubitare non possumus, quin comparari debeat nomen tanquam res incorporalis cum re mobili. Dein cum debitör prius generalis hypothecae mentionem faciat, atque *omnium bonorum* mentionem faciat, specierum adiectione vim restringendi notionem generalem habere nequit, maxime cum sub illis speciebus adiectionis rerum mobilium atque immobilium tertia illa species comode subintelligi potest, cum eae res vel circa mobiles res, vel immobiles se exerant. Quare etiam fit, ut actiones ad ipsas res perendas vindicandasue comparent cum ipsis rebus, ut propterea etiam *P A V L Y S* in *L. 15. x. de Reg. Iur.* recte dixerit: *Is qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.* Tandem ex eo, quod omnia bona sua, seu quod idem est, integrum patrimonium obligatum esse velit debitor, appetat, cum mobilium atque immobilium mentionem adiecerit debitor, voluisse suum patrimonium integrum tantum in has duas species esse diuissimum. Neque negari hoc poterit, cum conuentiones ex pacientium vel contrahentium intentione interpretandae sint. Ita etiam statutus *B E R G E R Y S* in *Oeon. Iur. Lib. II. Tit. V. th. 9. n. 1.*

§. VI.

§. VI.

Et hanc sententiam olim approbarunt Leges Saxonicae Electorales. In his enim expresse constitutum, ut sub hypotheca generali mobilium rerum atque immobilium etiam ipsa nomina simul habeantur obligata. Ita sane cautum est in ORDINAT. PROC. SAX. VETER. Tit. XLVI. §. 8. Nachdem aber auch, bey Verpfändung derer Schulden oftmais Zweifel vorfället, wenn einer ingemein alle seine Güter beweglich und unbeweglich hypotheciret, ob auch solches auf die Schulden, als die sonst für eine sonderliche Speciem bonorum geachtet werden, zu verstecken, und aber ihrer wenig diesen Unterscheid so genau in Acht zu nehmen pflegen, sondern vielmehr eines, der sich also versichern lässt, Sinn und Gedancken dahin gerichtet, wie er auf alle seine Schudners Güter ein Pfand-Recht erlange. So wollen wir, dass dergleichen gemeine Verpfändungen, ungeachtet, dass darneben der beweglichen und unbeweglichen Güter gedacht worden, auch auf die Schulden verstanden werden sollen.

§. VII.

Sed otiosa jam haec ipsa distinctio esse videtur, cum ius Electorale nouum hanc veteris atque civilis iuris dispositionem inutilem fecerit. Nam Serenissimus Legislator in ORDINAT. RECOGNIT. PROC. ad Tit. XLIV. §. 1. omnem hypothecis generalibus vim atque valorem admetit. Ita enim expresse iubet: *Es soll in Zukunft keine General-Hypothec, sie mag gerichtlich oder außer gerichtlich, in rebus immobilibus oder mobilibus constituiret werden, weder in concursibus creditorum, noch sonst contra tertium possessorem von einiger Kraft und Wirkung seyn.* Cum ergo hypothecarum generalium nulla vis amplius sit, frustra disputaretur, an nomina contineantur simul, si generaliter bona mobilia et immobilia hypothecata sint.

§. VIII.

§. VIII.

Caeterum licet hypothecae generales abrogatae atque improbatae sint iure Saxonico Electorali, tamen non omnino omnem usum propterea negabimus hypothecis generalibus in Saxonia. Patet enim ex ipso Textu allegato ORD. PROC. RECOGN. SAX. intelligenda tantum esse verba de hypothecis conuentione constitutis. Supersunt vero generales hypothecae, quae ex legibus veniunt, quas tacitas vocant. Sicut enim tacitas hypothecae plerumque generales esse soleant atque omnia adficiant debitoris bona, quod patet ex tacita uxoris hypotheca propter illata in bonis mariti; ita adhuc generallium hypothecarum usus adhuc superesse debet, licet in conuentionalibus usus haud existat. Et quamvis ORDIN. RECOGN. ad Tit. XLV. §. 5. etiam tacitas hypothecas improbauerit, tamen haec iuris dispositio effectu caruit ob leges postea latas et maxime ob MANDAT. de An. 1734. dd. 24 Septb. quippe hac lege noua ratione tacitarum hypothecarum antiquum ius in usum reuocatum est, ut itaque hypothecae generales sed lege comprobatae adhuc in Saxonia supersint, neutiquam vero conuentione constitutae, siue priuata tantum auctoritate, siue a iudice confirmatae sint.



ULB Halle

004 758 501

3



5b





9388. 1773, 23.
B.I.G. Black

Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I
A N
R E S I N C O P O R A L E S
C O M P R E H E N D A N T V R S V B
H Y P O T H E C A G E N E R A L I
I N Q V A M O B I L I V M E T I M M O B I L I V M
T A N T V M M E N T I O F A C T A

Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PUBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.
S O C I O
DIE XII. OCTOBR. ANNO CCCCCCLXXIII
D E F E N D E T
G E O R G I V S H E N R I C V S K V H N
G R O S - M I L K A V.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.

